

VB
230

Non licet vivas audire et te habere vocari.
Nec CHR. QUID ER. E. michi rectus in copia

Invenies legum deum (sic) in quantum te habet regnum
Dignetur quondam deo tibi habere

Angelusque DEI. P. in hoc nomine
Gardiam. V. in nomine: uterque vobis

Idibus Augustis: N. in hoc nomine
Sacer Dei: quo nunc spiritus sanctus dicitur

Plura dicitur. V. in nomine: uterque vobis
Abba: factus est in hoc nomine: uterque vobis


Qua vobis facta sunt in hoc nomine: uterque vobis
Vas in nomine sancto: Dei vos cum in eum.

Itaque manus dicitur: uterque vobis
Cum esse in se ipsum domus de schola filii re-

Episcopus
Episcopus
Episcopus

Episcopus
Episcopus
Episcopus

Episcopus
Episcopus
Episcopus



CASPARIS BARLÆI
MAURITIUS REDUX,

five

*Gratulatio ad Excellentissimum &
Illustrissimum Comitem,*

MAURITIUM,

Comitem Nassoviaë, Cattine-
liboci ac Dietziæ, Bilsteinii Dominum,
Brasilix Terra Marique Præ-
fectum. &c.

Cum

ex Orbe Americano in Europæum
sospes appulisset.



Nassovius trans æquor adest, reducemque salutat
Belga ducem, nondum Phœbo fervente perustus
Se prisco candore probat, patriique coloris
Et juxta veteris servat vestigia recti.

- 5 Iverat Occiduum missus bellator in Orbem,
Et terras, Sol fesse, tuas. non visa ruenti
In laudes Europa latis, fama que suorum
Pars mundi concussa prior. quærendus in orbe
Barbarico fuit hostis Iber, vincique sub ipso
10 Vespere regnatorem Asiæ dominosque Philippos,
Dis visum Superis. hic opportuna trophæis
Ingens se tellus aperit, diffusa que vastis
Regna plagis nudisque truces cultoribus agri.
Hic alios hominum mores miramur & urbes,
15 Corporaque humanis fœde distenta medullis,
Infamesque, dapes & qualia fercula fratri
Coxit & immanes Atreus detrusit in artus.
Hæc belli laus summa viris, in viscera victos
Condere & invisos discerpere dentibus hostes,
20 Ne toti noceant, vel ab ipsa morte resurgant.
Hic alium Castella olim conspexit Olympum,
Diffimilesque faces, oculis disparuit Arctos,
Et ferus Alcides. nusquam sua signa Bootes
Sustulit aut strictum Perseus se torsit in ensem.
25 Phillyriden stupuit, quique altius exit in Austrum
Indus & ara Deum. geminis solamen ab umbris
Terra capit, quas nunc dextras, nunc ire sinistras
Adspicit. hybernis quoties nos noctibus acre
Calcamus sine Sole gelu, Titania lampas
30 Æstuat & fuscas exurit fervida frontes.
Non illic ripa Vahalis Rhenique bicornis
Ambulat, aut Ligerim Scythicumque adspicit Araxem
Incola. Amazoniæ generosa vocabula gentis
Indunt nomen aquis, & qui per rura Maragnon
35 Longa ruit nitidasque argenteus evomit undas
Plata patens. vix obliquis se sidera condunt

Flexi-

Flexibus ex parvo distant discrimine iuocis.

Non his, vasta licet, Romana potentia terris
Intulit audaces aquilas. non cepit Olindam
Græcia. non illis allatus psittacus oris 40
Reddidit aut Spartam, aut Cadmi fundamina Thebes,
Aut te Miltiade, aut tua victor nomina, Theseu.

Hesperiaæ fors ista fuit, servataque Bæti
Gloria rectoriꝫ Tagi. se barbarus illi
Tradidit & sero dominis adsvēvit Iberis. 45

Nos etiam, quorum virtus Mavortia nescit
Stare loco, Plusque, exemplis regalibus, Ultra
Vadit & ingentem grandis fiducia Tethyn
Trajicit, infernas mox perruptura paludes,
Ivimus, & lauros illis suspendimus oris. 50

Sic fruimur raptō, & quæ quondam regna fuere
Capta Tago, nostris spoliū cessere Batavis.
Mansuetas hîc Belga domos & mitia tecta
Possidet. Auriacis titulis expungimus Indos,
Hispanosque duces. longe migramus, & ipsi, 55

Oceano inducit peregrinos Belgica cives,
Ædificatꝫ foris. mutat cum gente colonus
Sidera, in auriferas diffundit nuntia valles,
Ipsaque pallentis penetralia concutit auri
Et terret secreta Erebi. sua sacchara nostras 60

Lætatur tractare manus dulcissima tellus;
Mattiacosque illic & respirare Sicambros;
Sævus ubi crudis habitator vixit ab extis,
Horrendæque artus hominum secuere secures.

Maxime Dux, hæc terra tuis servata triumphis, 65
Imperiusque fuit. dudum sub Principe Celso
Miles eras, nostrique adspersus pulvere belli,
Publica magnanimis iuvisti commoda cœptis.

Cum validam Tartessiacis è faucibus Arcem
Eriperes, Rhenique domos & claustra Batavis 70
Assereres, vestræ facinus memorabile dextræ.

Tunc latus immensum mundi, quod nesciit ævum
Omne

Omne, tibi in meriti pretium spaciumque futuri
 Cessit, & intrepidi successor magne Columbi,
 75 Vespucii sectatus iter, cum Sole stetisti.
 Hic sibi Naturæ longissima linea metam
 Fixit. anhelantes isto sub cardine Phœbi
 Adspectamusequos, nec latius exit honorum
 Regnorumque fames & vis peregrina sciendi.
 80 Constitit extremis in Gadibus illa potentis
 Alcmenæ soboles & finivere Columnæ
 Imperium. Latius etiam rectoribus olim
 Ultima suffecit Thule. Tibi trans mare magnum,
 Atlantisque vagos fluctus & Nerea vastum.
 85 Surrexere novæ gentes, dominumque ducemque
 Agnovere truces populi. sua Numina cuncti
 Devovere tibi, & nudati membra lacertos
 Exeruere tuis jussis, & tela pharetris
 Depromsere suis. plumæ lufere per armos,
 90 Et picturato gratati corpore, vobis
 Juravere fidem, nec enim gens nescia justis est,
 Ipsaque barbaries aliquid præsentit honesti.
 Naturæ se lege probant, inscriptaque menti
 Cœlitus officii versant dactamina, quamvis
 95 Obruta se condant multa caligine virtus.
 Quot circum regnis, tot lingvis cultus abisti,
 Nec dispar morum ratio discrevit amorem
 Obsequiumque tui. te suspexere feroces
 Indomitisque animis turbæ & mitescere sub te
 100 Effera vis potuit faciliq; advescere vitæ,
 Excussæ manibus clavæ, & lethalibus arma
 Cotibus & rigidi damnato in corpore funes.
 Sic natum male, mansuetasub lege renasci
 Posse hominem, jam certa fides, per strata viarum
 105 Ambulat, & nostro sub sidere barbarus exit,
 Et priscum discit velatus membra pudorem,
 Eheu! quanta viris feritas & nescia luxus
 Vita rudis, quales agresti lumine vultus,

Quam

Quam pertusa genas facies, quam mollia flexu
Brachia, præcipitique per avia pulsat humum pes
Turbine, seu celeris sequitur vestigia cervi,
Seu mediis velox leporem sectatur in agris.
Quam gnari torquent jaculum, doctiq; ferire
Obvia, non vanis prosternunt ictibus hostem.

Hoc memini. Batavo solventem è littore cunctos
Contra te maris ipse Deos, Zephyrosq; Notosque
Disjecerates, irataque numina forti
Invidisse tuæ. quid enim? tunc altera Juno
In Belgas inimica stetit. te Jupiter ire

Æneæ fato voluit, perque aspera rerum
Per casus pelagi varios longinqua tueri
Littora & in terris aliis Latioque reponi,
Arcton in Occasum portare deosque penates.

Alter eras tum Scipiades, qui subruit Afrum,
Trans mare. nec fuit hæc solius gloria Pœni:
Tu nobis Hanno victuris classibus orbes
Accessisse novos ausus, glebisq; focisq;
In patriis hæsisse, duci plus vile putasti.

Eudoxo deserta Pharos Memphisque superba
Et contempta fuit Lathyri domus hospita regis.
Scandit Erythræum pelagus, ratibusq; profundum
Ementus, tandem Hesperiiis stetit exul in oris.

Hæc Niciæ fortuna fuit, Grajiq; Conones
Per fluctus abiere foras. fors ista Lylandrum
Extulit & Romæ dominos. virtute probantur
Et pelago grandes animæ. discrimina fortes
Nos faciunt, nec parva timet, cui spernitur æquor.

Sed veluti salvus, post mille pericula, tandem
Constitit ad Tiberim Ductor Trojanus, & æquos
Expertus sensit Superos, stas littore sospes,
Brasiliæque domos jamq; hospita saxa subisti,
Vallatamque urbem scopulis, habitataque nuper
Hispanis loca, & illustris fastigia regni.

Victor in adventu es, primusque à Principe vinci

Se

Quam


- 145 Se doluit Baniola ferox. fugere phalanges,
 Et Calvisua cesserunt æraria Portus.
 Fortunate Comes, memorandi nominis hæres,
 Hæc Tropici videre geri. quæ fascia Phœbo
 Hic illic definit iter, tua facta sub isdem
 150 Limitibus claudi voluit, Cancroque Caproque
 Hoc belli finivit opus. Cum victa Peneda est,
 Creditur ipse tibi Chiron acuisse sagittas,
 Et iuvise Ducem. scutum porrexit Orion,
 Indigetes toto cum littore pelleret audax
 155 Dexterâ, & antiquis se maxima Pernambucum
 Fascibus exueret, tanto secura magistro.
 Nec visum sævire tibi. clementia gentis
 Dos æterna tuæ est. cunctis spes certa salutis
 Ex æquo vitæque datur placidisq; vagantes
 160 Legibus atque ipsum invitus placatus Iberum.
 Nec satis hoc. munis urbem terraque marique,
 Præcludisque aditus hosti, dum nubibus imbres
 Nimborum extundit pater, accessusq; de viarum
 Laxat & angusto saliant in gramine Fauni.
 165 Vix firmata tuis fuerat Respublica curis,
 Accepitque suas regio placidissima leges,
 Mittis in oppositum bellacia classica Nigrim,
 Et latè fulvis conspersum littus arenis.
 Æthiopum statio est, quales Acheronte sub imo
 170 Degeneres vadunt Genii. jacet edita vallis
 Mina potens, dudum Austriacis infessa Philippis,
 Unica mercantis tremor & formido Batavi.
 Cepisti atque tuis accessit clara tropæis.
 Deerat adhucrostratus honor, domitisque coronæ
 175 Classibus, extremis cum te pars hostica fatis
 Et vicina suis terrerent mœnia transtris,
 Sanctorumq; chorus. tu per spatiosa vagantes
 Æquora, fatalesque minas & bella ferentes
 Mersisti & multo damnasti funere fortes
 180 Bæticolas, fastumque Tagi. risere serenæ

Ne rei-

Nereides, favitque tibi mare, sidera, venti,
Qua sibi suppositas ferit ardens linea gentes,
Immensamque secat spatiis æqualibus æthram,
Terra jacet, totoque natat circumflua ponto.
Morborum succique ferax rorisque beati,
185
Quem cannæ dulces generant. Sic area laudum
Panditur, hæ vestras tellus admisit habenas,
Et dis Arigolæ cultor, sparsique per oras
Oceani nigri indigenæ, candensque ministrat
Hic ebur, hic fulvum mercanti porrigit aurum,
190
Venalesque animas precio transcribit in quo.
Cur bona libertas homini subduceris? & cur
Vis servum natura pati? cœlestis imago est,
Quisquis homo est, natusque sibi vim respuit insons.
Mortales æquis generamur legibus omnes,
195
Jure pari, mox dissimiles injuria fecit,
Et belli furor & rabies insana nocendi.
Pacificos etiam fluctus Chilenque remotam
Auspiciis tetigere tuis gens nostra, viæque
Ignotæ patuere maris, compendia ponti,
200
Quæsitumque fuit, quod non invenimus, aurum.
Magne Comes stitit una tuos pax obviacursus,
Et Lusitanis veniens Concordia terris,
Suspendit Mavortis opus; frameasque tubasque
Et bellatrices passim compescuit iras,
205
Ipsaque paciferam Bellona ostendit olivam.
Non moriture Ducum, prisca venerabile germen
Sanguinis, ignotum nobis jam note per Orbem,
Ad Batavos veteremque redi, fortissime, mundum,
Non effœta tuæ laudis mea Belgica, causas,
210
Queis merearis, habet. restant præclara laborum
Argumenta domi, pandit tibi Flandria laxos
Mox vincenda sinus. hinc nondum fecimus armis
Otia. fervet amor belli, paribusque Philippi
Regna fatigamus studiis. Tu barbara spes ne
215
Verba, Magajates & qui sibi lurida formant

Tela,

Tela, Tabajarres, & pictos membra Tapujas,
 Patagones, & Canibales, pastumque cruore
 Humano deforme genus; durosque Caetas
 220 Tupiguas & Amixocoros savosque Pirivos,
 Et Tupinaquorum populos. dedisce parumper
 Ista loqui, Germane, & vocibus utere nostris,
 Et Batavos Frisiosque sona, mitemque Sicambrum,
 Mattiacos Morinosque & quos fovet Isala cives.
 225 Fulminat in Morinis cognati sanguinis Heros,
 Auriacus, sternitque viam, qua possit adiri
 Ganda vel augustis Antverpia digna triumphis.
 Adsis, magnanimoque humeros suppone labori.
 Vosque adeo, Patriae Patres, quibus inclita belli
 230 Gloria surgit ab Occasu, tot Vespere in ipso
 Emeruit celebres vigilans industria lauros,
 Hesperiaeque accedit opes; defendite magnis
 Cœpta animis, Siculumque istis avertite Regem
 Fitiibus, auriferamque Peru Cuscumque Qviturumque,
 235 Et pulchros longè Potosi convellite montes.
 Hæ finem bellis regio dabit. illa potentis
 Imperii suffulcit opes & robora tellus.
 Obruite hunc orbis dominum, quo pugnat Iberus,
 Orbe alio. geminos in se committite mundos,
 240 Et caput Hispanum Occiduis demergite terris,
 Ut Phœbo labente labet. qui viribus in nos
 Accrescit gliscitque novis, hinc pabula Marti
 Sufficit, & strictos æternum nutrit in enses,
 Mercedem pugnis subducite. Vadat Iason
 245 Alter & in claros deducat carbasa portus,
 In Belum Panamamque & ditem invadite fortes
 Colchida & effosis Indum spoliante metallis.
 Ite Patres, monstrabo viam per Amazonis undas.
 Hoc duce, Perruvio toti fulgebitis auro.



Pom

Vb 230

ULB Halle 3
003 649 385



Sb₁

Wort



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches


Kodak

LICENSED PRODUCT

3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White



LÆI
EDUX,
Simum Es
UM,
Cattine-
Dominum,
ie Præ-
ropæum

